



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Balbina V. 31. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

210 VITÆ SANCTORUM. 31. Martij.  
pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGULUM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGULO parabat, ipsi iudici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGIUS silentium immorigeris, & ecce continuo tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse. Ex Petro de Nat.

*Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat & arceat timor Iulicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens; sulphur fœtens, tartarea & omnia mala.* S. Bern. de Int. dom. c. 63.

S. BALBINA V. 31. Martij.

**P**uellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unice chara. Sed quia hic Alexandrum Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem patris in filiâ (oculo parentis) statuit, colloque virginis ingens onus, & quod omnem pul-

31. Mart. VITÆ SANCTORUM. 211  
pulchritudinem extingueret, strumam  
appendit. Cum hâc dote cum nulli jam  
placere BALBINAM ducere, & parens  
desperandum sibi de nuptiis filia videret,  
Alexandrum in vinculis accessit, promi-  
sitque, si strumam filia collo pelleret,  
superstitionem se cum hâc animo pulsu-  
rum. Facile utrimque convenit. Vix ad-  
movit Alexander filia vincula sua, quæ  
Quirinus iniecerat, cum illa strumam,  
uterque superstitionem posuit. Itaque  
jam nuptia splendide parabantur. Sed  
puer elegantissimus adstitit virgini, face  
armatus. Is sive Amor sive Hymeneus  
sanctior facile melioris Sponsi amore ac-  
cendit, Jesu que ut nubere, induxit. In-  
tereâ creberrima oscula salutis auctori-  
bus vinculis Alexandri fixit. Idem præ-  
stitit monita ab Alexandro D. Petri vin-  
culis. Mortui deinde pro Christo & Ale-  
xander & pater; virgo longius supervixit,  
utriusque heres virtutis. Ex Ferrario.

*Sit suavis & dulcis affectui tuo Domi-  
nus JESUS contra malè utique dulces vitæ  
carnalis illecebras, & vincat dulcedo dul-  
cedinem quemadmodum clarus clarum ex-  
pellit. Sit etiam fortis & constans amor  
tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens  
laboribus. S. Bern. serm. 20. in Cant.*